

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXV - N. 1

2003

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2003

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Allocutio ad eos qui die 24 ianuarii in Die Academico <i>Vent'anni di esperienza canonica</i> partem habuerunt	3
Allocutio ad Auditores, Administros, Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	6
Allocutio ad quosdam Brasiliae Episcopos Limina Apostolorum visitantes	11
Ex Litteris Apostolicis <i>Ecclesia de Eucharistia</i>	17
Ex Allocutione ad Episcopos Ecclesiae sui iuris Syro-Malabarensis Sacra Limina visitantes.	23
Ex <i>Lectione Magistrali</i> habita occasione collationis Laureae H.C. in iure civili italica (« Giurisprudenza ») ab Universitate cui nomen est « La Sapienza »	26
Conventio inter Sanctam Sedem et Lettoniae rem publicam	31

EX ACTIS CONSILII

DIES ACADEMICUS <i>VENT'ANNI DI ESPERIENZA CANONICA</i>	
a. Prolusio Em.mi Secretarii Status	42
b. Prolusio Exc.mi Praesidis	45
c. Allocutio ad Summum Pontificem Exc.mi Praesidis	51
QUAESTIONES QUaedam studio Pontificii Consilii submissae	53
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIO	54

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO DOCTRINA FIDEI	
Decretum contra recursum quarundam excommunicatarum mulierum	56

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio I)	60
Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio II)	83
Coetus studiorum «De Locis et de Temporibus Sacris» (Sessio III)	110
NOTITIAE	138
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	139

COETUS STUDII
«DE LOCIS ET DE TEMPORIBUS SACRIS»

Sessio III^a

(dd. 16-20 octobris 1972 habita)

Diebus 16-20 octobris 1972, in Aula Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus Studii ad recognoscendas normas de locis et de temporibus sacris.

Interfuerunt sequentes Consultores: Exc.mi Domini Ismael M. Castellano, Robertus Bézac, Romanus Arrieta Villalobos, Joannes Kaldany; Rev.mi Domini Hercules Crovella et Laurentius Mc Reavy; Rev.mi Patres Stephanus Gomez, Christophorus Berutti, Antonius Dominicus De Sousa, Petrus Abellan, Joannes Jaros; Ill.mus Dominus Marius Petroncelli.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Pontificiae Commissionis CIC recognoscendo et Rev. D. Franciscus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Sextae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici Praeses Commissionis; ceteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor.

Rev.dus McReavy functus est munere Relatoris et Rev.dus Voto functus est munere actuarii.

In praesenti Sessione examinatae sunt sequentes quaestiones:

- a) de canonibus praeliminaribus (cann. 1154-1160);
- b) de temporibus sacris (cann. 1243-1254);
- c) de sanctuariis.

Votum paraverunt de propositis quaestionibus Consultores Castellano, Bézac, Arrieta, Kaldany, Crovella, McReavy, Berutti, Abellan, De Sousa, Jaros et Petroncelli.


Relator de votis Consultorum relationem scripto apparavit.

Adunatio I^a

die 16 octobris 1972 – mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit Consultoribus et petit utrum ipsi approbent necne Relationem laborum II^{ae} Sessionis quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores Relationem approbant.



Deinde Rev. mus Relator quaestiones disceptandas proponit et primo de recognitione canonum praeliminarium (cann. 1154-1160).

Can. 1154

Rev. mus Relator refert sententiam Ill. mi primi Consultoris, secundum quem deputatio locorum sacrorum ad cultum divinum fit per decretum vel licentiam Ordinarii et ideo a can. 1154 expungi deberent elementa quae potius pertinent ad ius liturgicum, scilicet consecratio vel benedictio locorum.

Rev. mus Secretarius censet loca fieri sacra per deputationem provenientem simul et a potestate iurisdictionis et a potestate ordinis.

At Ill. mus Primus Consultor mentionem facit de sacello privato, quod per solam *licentiam* Ordinarii fit sacrum, ita ut « ad usus profanos converti nequit » (can. 1192, § 2).

Rev. mi secundus et tertius Consultores et Relator tenent per solam licentiam Ordinarii non haberi locum sacrum. Licentia, enim, praerequiritur, sed aliquis locus fit sacer tantum si accedit consecratio vel benedictio constitutiva.

Haec sententia aestimatur nimis dura a Rev. mo quarto Consultore, secundum quem aliqua aula, ad hoc extracta ut sit ecclesia, iam est sacra, etiamsi nondum consecrata vel benedicta fuerit.

Rev. mus quintus Consultor facit distinctionem inter loca quae sunt sacra sensu pleno et loca quae sunt sacra sensu improprio. In can. 1154 vero praebet definitio loci sacri sensu pleno, quae habetur per deputationem competentis auctoritatis et per consecrationem vel benedictionem. Ecclesia nondum consecrata vel benedicta et sacellum privatum non sunt sacra sensu pleno ad sensum can. 1154, sed sunt sacra sensu improprio.

Rev. mi sextus, septimus et octavus Consultores concordant cum Rev. mo quinto Consultore.

Rev. mus Relator quaerit utrum placeat retinere can. 1154 prout est in Codice necne.

Rev. mus quintus Consultor censet omitti posse verba « fidelium sepulturae », ex eo quod nunc temporis raro et difficulter, uti dictum est in Sessione praecedenti, haberi possunt coemeteria propria Ecclesiae.

Rev. mus secundus Consultor et aliqui alii Consultores volunt retinere verba « fidelium sepulturae », quia quamvis raro haberi possint coemeteria Ecclesiae propria, fere ubique erunt « spatia in coemeteriis civilibus fidelibus defunctis destinata », vel saltem erunt singuli tumuli rite benedicendi, ad normam can. 1205.

Rev.mus Relator proponit ut in canone addantur verba «ad normam can. 1205», hoc modo:

«Loca sacra ea sunt quae divino cultui, vel fidelium sepulturae ad normam can. 1205, deputantur consecratione etc.».

Rev.mi Secretarius et secundus Consultor dicunt additionem factam a Rev.mo Relatore approbari non posse, quia non congruit cum regulis technicae iuridicae.

Rev.mus Secretarius monet Consultores ut considerent utrum conveniat retinere necne notionem strictam loci sacri prout est in can. 1154. Non raro enim, ob rationes oecumenicas, in ecclesiis permittuntur celebrationes non catholicae, quod proximis temporibus in morem verti poterit.

Rev.mus tertius Consultor censet hanc considerationem suum peculiare momentum habere etiam ex eo quod, saepe saepius, aulae ecclesiarum in hebdomada convertuntur ad alios usus non stricte sacros.

Rev.mus secundus Consultor animadvertit quaestionem, initio factam a Ill.mo primo Consultore, suum fundamentum habere saltem hoc sensu positam quod, in can. 1154, melius distingui debent deputatio et consecratio (vel benedictio). Formula ita redigi posset:

«Loca sacra ea sunt quae divino cultui... ab auctoritate ecclesiastica deputantur et consecratione vel benedictione donantur...».

Rev.mus quintus Consultor notat quod per hanc formulam consecratio erit invalida, nisi praecesserit deputatio auctoritatis ecclesiasticae; e contra, in iure vigenti, consecratio facta contra voluntatem Ordinarii est illicita sed valida.

Rev.mus Secretarius in mentem revocat unum ex principiis «quae recognitionem Codicis Iuris Canonici dirigant», scilicet ut leges invalidantes ad minimum reducantur.

Rev.mus Relator meminit actum proprium potestatis Ordinis semper esse validum, etsi potest esse illicitum.

Rev.mus secundus Consultor recedit a sua propositione.

Rev.mus Relator quaerit utrum placeat formula Codicis necne, dempto verbo «probatu»:

«Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam liturgici libri ad hoc praescribunt».

Formula omnibus placet. Tantum Rev.mus quartus Consultor vellet addere «*stabiliter* deputantur», at Rev.mus Relator dicit quod nota stabilitatis pertinet ad ipsam notionem benedictionis constitutivae, quae mutat statum alicuius loci.

Adunatio II^a
die 17 octobris 1972 – mane habita

Can. 1155

Rev. mus Relator proponit ut pro recognitione can. 1155, § 1, sumatur ut basis discussionis formula quam habet Rev. mum septimum Consultorem in suo voto, scilicet:

« 1° Consecratio ecclesiarum et altarium immobilium, quamquam ad religiosos exemptos pertinentium, spectat ad Ordinarium territorii in quo ea reperiuntur, dummodo ipse caractere episcopali sit insignitus, non tamen ad Vicarium Generalem sine speciali mandato.

2° S.R.E. Cardinales iure gaudent consecrandi ecclesiam sui tituli vel diaconiae et altaria immobilia quae exstant in ea.

3° Abbates et Praelati (nullius), qui non sint Episcopi, ecclesias et altaria immobilia sui territorii consecrare possunt ex privilegio, durante munere (can. 323, § 2) ».

Circa hanc formulam, sequentes animadversiones habentur:

a) Rev. mus tertius Consultor praefert verba Codicis « Consecratio *alicuius loci* », quia numeratio et determinatio quas facit Rev. mus septimus Consultor restringunt facultatem Ordinarii ad ecclesias et altaria immobilia.

Rev. mus Secretarius favet huic restrictioni facultatis Ordinarii, ut vitentur abusus.

b) Rev. mus quintus Consultor proponit ut n. 3 penitus supprimatur et in n. 1 deleatur clausula « dummodo ipse caractere episcopali sit insignitus ». Hoc modo etiam Abbates et Praelati (nullius), memorati in n. 3, comprehenduntur in n. 1.

c) Rev. mus secundus Consultor proponit ut in n. 1, fiat haec additio: « non tamen ad Vicarium Generalem et *ad Vicarium Episcopalem* sine speciali mandato ».

Rev. mus Relator quaerit utrum placeat formula hoc modo redacta necne:

« Consecratio *alicuius loci*, quamquam ad religiosos exemptos pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, non tamen ad Vicarium Generalem vel ad Vicarium Episcopalem sine speciali mandato; *firmiter iure S.R.E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli* ».

Formula omnibus placet.

Can. 1155, § 2

Rev. mus Relator proponit ut in § 2 detur facultas Ordinariis delegandi etiam simplices sacerdotes, ad consecrationem faciendam.

Rev. mi tertius et quintus Consultores favent huic propositioni, sed alii Consultores non approbant hanc propositionem. Consequenter can. 1155 § 2 manet prout est.

Can. 1156

Rev. mus Relator hanc formulam proponit:

« Ius benedicendi novam ecclesiam, vel oratorium, vel novum coemeterium, si eiusmodi locus pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare, necnon diaconum quem loci Ordinarius ad hoc expediendum commiserit ».

Fere omnes Consultores petunt ut supprimatur ultimum comma circa possibilitatem delegandi diaconum.

Rev. mus Relator assentitur aliis Consultoribus ut supprimatur ultimum comma et inde canon ab omnibus approbatur.

Can. 1157

Rev. mus Relator proponit hanc formulam:

« Non obstante quolibet privilegio, nemo potest ecclesiam oratoriumve consecrare vel benedicere, aut novum coemeterium benedicere, sine Ordinarii consensu ».

Rev. mus septimus Consultor censet can. 1157 supprimi posse, quia eiusdem materia implicite continetur in cann. 1155-1156.

Omnes alii Consultores autem approbant formulam Relatoris.

Can. 1158

Rev. mus Relator proponit hanc formulam, quae omnibus placet:

« De peracta consecratione vel benedictione ecclesiae, oratoriive, itemque de benedictione coemeterii, redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia dioecesana, alterum in ecclesiae archivo servetur ».

Can. 1159, § 1

Rev.mi nonus et tertius Consultores proponunt suppressionem huius canonis.

Rev.mus Relator respondet suggestionem hanc acceptari posse, si in alia parte Codicis habebitur quaedam norma generalis circa probationes.

Rev.mus Secretarius censet statui non posse normam generalem pro omnibus probationibus, quia probatio pendet a natura negotii. Secundum naturam negotiorum enim exigi possunt probationes plus minusve graves.

Rev.mi tertius et nonus Consultores censent hanc normam generalem de probationibus confici posse pro omnibus negotiis, excepta tantum materia processuali, pro qua normae propriae de probationibus haberi debent.

Rev.mus Relator proponit ut saltem pro nunc can. 1159, § 1, approbetur; postea supprimendus erit si norma generalis de probationibus habebitur in Codice.

Propositio Rev.mi Relatoris omnibus placet.

Can. 1159, § 2

Rev.mus Relator quaerit quid censeant Consultores circa formulam quae est in Codice, scil.: « Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest; in dubio autem, peragatur ad cautelam ».

Rev.mus quintus Consultor opportunum ducit suppressi alteram partem huius canonis; etiam in Coetu de Sacramentis, dicit ipse, huiusmodi cautio suppressa est.

Rev.mus Relator censet hanc cautionem in praesenti canone servari posse, quia saltem ad consolationem fidelium convenit ut, in dubio, consecratio vel benedictio peragatur.

Suffragatur utrum placeat retinere illa verba necne:

Placet 2; non placet 7.

Suffragatur utrum placeat illum comma ita redigere necne:

« in dubio autem *peragi potest* ad cautelam »:

Placet 1; non placet 8.

Suffragatur utrum placeat delere illa verba necne:

Placet 6; non placet 3.

Ideo can. 1159, § 2, constabit tantum prima parte.

Adunatio III^a
die 17 octobris 1972 – vespere habita

Can. 1160

Circa hunc canonem habetur propositio Rev.mi quinti Consultoris qui vult suppressere primam partem (« Loca sacra exempta sunt a iurisdictione auctoritatis civilis ») et retinere tantum alteram partem his verbis redactam: « Legitima Ecclesiae auctoritas iurisdictionem suam in locis sacris libere exercet ».

Rev.mus Secretarius Consultores monet ut considerent consequentias suppressionis primae partis canonis. Illa enim norma habet suum fundamentum theologicum et ideo suppressio per se non afficeret valorem illius principii; attamen ipsa suppressio intelligi posset ac si Ecclesia renuntiasset illi iuri.

Rev.mus tertius Consultor approbat propositionem Rev.mi quinti Consultoris, quia, dicit ipse, nunc temporis concursatores vel contestatores confugiunt in ecclesias et auctoritates civiles vetari non possunt hos perturbatores ordinis publici etiam in locis sacris persequi.

Rev.mus quintus Consultor dicit se valde dubitare de omnimoda veritate principii: « loca sacra exempta sunt a iurisdictione auctoritatis civilis », quia potius haec loca consideranda sunt tamquam materia mixta. De facto enim pacifice et ab omnibus admittuntur limitationes impositae ab auctoritate civili per leges igienicas, urbanisticas, etc...

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo quinto Consultore.

Rev.mus Secretarius negat loca sacra recenseri posse tamquam materiam mixtam. Casus citati ab Rev.mo quinto Consultore non obstant firmitati principii exemptionis, sed tantum, demonstrant quod Ecclesia utitur hoc iure rationabiliter.

Suffragatur utrum placeat retinere can. 1160 prout est in Codice necne: Placet 4; non placet 6.

Circa novam redactionem canonis plures habentur formulae:

Rev.mus quintus Consultor proponit: « Ius est catholicae Ecclesiae ut in locis sacris iurisdictionem suam libere exercent ».

Vel: « Ius est catholicae Ecclesiae ut in locis sacris eius legitima auctoritas iurisdictionem suam libere exercent ».

Rev.mus Relator proponit:

« In locis sacris legitimae auctoritatis ecclesiasticae ius est iurisdictionem libere exercere ».

Rev. mus secundus Consultor proponit:

«*Auctoritatis ecclesiasticae est iurisdictionem suam in locis sacris libere exercere*».

Suffragatur utrum placeat formula Rev. mi secundi Consultoris necne:
Placet 8; non placet 2.

Can. 1206, § 1

Quidam Consultores proponunt ut servetur in Codice principium quod habetur in can. 1206, § 1, scilicet: «*Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria*».

Rev. mus Relator autem proponit ut hic canon supprimatur, quia continet principium theologicum et praeterea quia est repetitio superflua, cum iam in parte «*de bonis Ecclesiae temporalibus*», adsit principium generale de iure Ecclesiae ut possideat bona propria.

Post aliquam discussionem, suffragatur utrum placeat retinere can. 1206, § 1, prout est in Codice necne:

Omnibus placet.

DE TEMPORIBUS SACRIS

Can. 1243

Rev. mus tertius Consultor proponit ut in praesenti canone retineantur tantum verba «*Tempora sacra sunt dies festi*», suppressis ceteris verbis «*iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii*», quia dies abstinentiae et ieiunii ad duos tantum reducti sunt et non videtur congruum ut illi computentur inter «*temporibus sacris*».

Rev. mus secundus Consultor accipit suggestionem Rev. mi tertii Consultoris tantum ex parte, eo sensu scilicet quod locutio «*abstinentia et ieiunium*» mutanda est cum alia quae magis respondeat indoli Constitutionis Apostolicae *Paenitemini*. Et ideo canon forsitan posset ita redigi: «*Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies poenitentiae*».

Rev. mus tertius Consultor respondit finem praecipuum Constitutionis *Paenitemini* esse ut in animo christifidelium inculcetur *spiritus* poenitentiae. Si autem poenitentia ligatur diebus determinatis, periculum est ut fideles non iam curent de *spiritu* poenitentiae.

Rev. mus Relator in mentem revocat instructionem Sacrae Congregationis de Cultu Divino circa Annum liturgicum et Calendarium, ubi distinctio fit inter festa et sollemnitates.

Rev. mus secundus Consultor censet in praesenti canone, qui est genericus, praescindi posse a nova terminologia inducta a Sacra Congregatione de Cultu Divino. Imo ad vitandum etiam locutionem technicam «dies festi», formula mutari potest: «Tempora sacra intelliguntur dies festivitati vel poenitentiae specialiter dicati».

Rev. mus quintus Consultor censet finem can. 1243 non esse definitionem strictam temporum sacrorum praebere, sed tantum introducere materiam de qua agitur in canonibus sequentibus; quare locutio «dies festi» sumitur prout est in usu communi populi christiani, ad indicandam scilicet quamdam laetitiam simul cum laude Deo data. Ceterum, dicit ipse Consultor, etiam in recentioribus documentis liturgicis, quamvis celebrationes distinguantur in sollemnitates, festa et memorias, saepe tamen invenitur locutio «dies festus», ut locutio generica. Ita ex. gr. in «Normae universales de Anno Liturgico et de Calendario», ad n. 4 legitur: «Itaque dominica uti primordialis *dies festus* haberi debet», et ad n. 13 ita legitur: «*Festa* intra fines diei naturalis celebrantur».

Rev. mus Relator quaerit utrum placeat haec formula can. 1243 necne: «*Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies poenitentia*».

Formula omnibus placet.

Adunatio IV^a
die 18 octobris 1972 – mane habita

Can. 1244

Consultores ponunt varias quaestiones circa opportunitatem concedendi Conferentiis episcopalibus facultatem constituendi, transferendi vel abolendi dies festos et dies poenitentiae.

At Rev. mus quintus Consultor proponit ut prius recognoscantur canones de diebus festis (1247-1249) et de diebus poenitentiae (1250-1254), quia, post hanc recognitionem, facilius recognosci poterunt canones generales (1243-1246).

Propositio Rev. mi quinti Consultoris omnibus placet.

DE DIEBUS FESTIS

Can. 1247

Rev.mus Relator proponit ut examinetur formula novi canonis quam ipse praebet in suo voto, scilicet:

« Praeter diem dominicum, *qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus sub praecepto servari debet (cf. Calendarii normas, n. 4)*, penes Conferentias episcopales est determinare, *pro suo cuiusque territorio*, quoniam alii dies festi, *selecti, quantum fieri possit, inter eos qui ibidem a negotiis publicis feriatu habentur, sub praecepto servandi sint* ».

Rev.mus tertius Consultor dicit se concordare cum Rev.mo Relatore ut tantum dies dominicus imponatur in Codice uti dies festus, quia hodiernis temporibus difficile est statuere alios dies in hebdomada qui uti dies festi de praecepto habeantur. Organizatio laboris in societate civili ita in dies evolvitur ut aegre tolerantur intermissiones et morae non strictae necessariae. Praeterea hoc etiam considerare oportet, quod si aliqui dies in hebdomada statuerentur ut dies festi de praecepto, christifideles ob dictas rationes hoc praeceptum non observarent, putantes se excusatos esse. Sed pedetemptim, ducti quasi ex consuetudine, idem facerent etiam diebus dominicis.

Rev.mi quartus, nonus et sextus Consultores reiciunt rationes prolatas ab Rev.mo tertio Consultore, quia pauci dies in anno non possunt inducere consuetudinem, quam timet Rev.mus tertius Consultor. Et praeterea si hae rationes essent verae, ne quidem Conferentiis episcopalibus concedi deberet facultas statuendi alios dies festos.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut statuatur aliquis index festorum in Codice et tribuatur conferentiis episcopalibus facultas transferendi illa festa ad dominicam proxime sequentem.

Suffragatur utrum placeat retinere in Codice aliquem indicem festorum necne:

Placet 10; non placet 1 (Rev.mus quartus Consultor).

Omnes Consultores consentiunt quod hic index comprehendere debet omnes et singulos dies dominicos.

Rev.mus Secretarius conset quod in futuro posset etiam discussio fieri num dies vacationis a labore debeat esse dies dominicus. Adest enim tententia unitatis in toto mundo circa aliquas res et non est dubitandum quin

etiam circa dies vacationis sint conatus ad consequendam uniformitatem in toto mundo.

Rev.mus nonus Consultor votum exprimit ut christiani numquam cedant fidelibus aliarum religionum ut seligatur alia dies, loco diei dominicae, quae sit dies festus pro toto mundo.

Deinde quaestio ponitur num index festorum in Codice comprehendere debeat alios dies festos praeter dies dominicos.

Omnes concordant ut in indice ponatur dies Nativitatis Domini.

Plures Consultores praeterea volunt ut ponatur in indice unus dies festus B.M.V.

Rev.mus tertius Consultor censet quod, praeter dies dominicos et diem Nativitatis Domini, nullus alius dies festus poni debet in Codice, ob rationes antea dictas.

Rev.mus quartus Consultor, e contra, vult ut in Codice servetur index plus minusve prout est in iure vigenti. Ecclesia enim ius habet petendi a suis fidelibus ut celebrentur quaedam misteria nostrae fidei etiam in diebus non dominicis, secus etiam ex hoc capite fovetur processus sic dictae saecularizationis.

Rev.mus Relator notat aliam esse suppressionem festorum de praecepto, aliam esse suppressionem festorum liturgicorum: in hac sede est quaestio suppressionis solius praecepti festivi.

Discussio protrahitur per longum tempus et in fine Rev.mus Relator conclusionem trahit fere omnes Consultores concordantes esse circa indicem festorum servandum in Codice, qui tamen continere debet tantum dies dominicos, diem Nativitatis Domini et unum diem festum B.M.V.

Relator hanc formulam proponit:

« Praeter diem dominicum, qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus sub praecepto servari debet, diem quoque Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi et unam ex sollemnitatibus B.M.V. a Conferentiis episcopalibus designandam, penes eandem Conferentiam episcopalem est determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub praecepto servandi sint ».

Placet 10; non placet 1 (Rev.mus quartus Consultor).

Can. 1247, §§. 2-3

Omnes Consultores concordant ut supprimatur.

Adunatio V^a
die 18 octobris 1972 – vespere habita

Can. 1248

Rev. mus Relator proponit hanc formulam:

« Festis de praecepto diebus Missa audienda est; et abstinendum ab iis operibus, actibus negotiisque, quae fini cultuali laetaeque indoli diei adversentur ».

Rev. mus quintus Consultor censet ex hac formula non clare apparere praeceptum alicuius quietis ab operibus, quae sit etiam relaxatio corporis. Ipse proponit ut prae oculis habeatur textus Constitutionis De Sacra Liturgia, ubi haec leguntur: « ita ut etiam fiat dies laetitiae et vacationis ab opere ».

Rev. mus Relator accipit suggestionem Rev. mi quinti Consultoris et ita suam formulam corrigit:

« Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et ita ab actibus, operibus negotiisque abstineantur ut dies Domino dicatus fiat etiam dies laetitiae et vacationis ab opere ».

Rev. mus quartus Consultor censet verba « actibus, operibus, negotiis » esse nimis generica et indeterminata.

Rev. mus Secretarius petit ut salvae fiant legitimae consuetudines, uti habebatur in iure vigenti (can. 1248).

Rev. mus Relator respondit formulam canonis non esse genericam et indeterminatam, uti censet Rev. mus quartus Consultor, neque tam absolutam ut excludat legitimas consuetudines: et hoc patet si bene considerantur illa verba canonis: « et ita ab actibus, operibus negotiisque abstineant ut... ».

Etiam alii Consultores tamen petunt ut formula canonis adhuc perpoliatur et ideo Rev. mi Relator et quintus Consultor, communi consilio ita formulam redigunt:

« Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et abstineant ab illis operibus et negotiis, quae cultum divinum, christianam laetitiam et debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt ».

Suffragatur utrum placeat haec formula necne:

Placet 9; placet iuxta modum 1.

Modus:

Dicatur «... corporis relaxationem et quietem impediunt» (Rev. mus nonus Consultor).

Placet 1; non placet 9.

Adunatio VI^a
die 19 octobris 1972 – mane habita

Huic conventui praeest Em. mus Cardinalis Praeses.

Rev. mus Relator Consultores rogat ut adhuc velint examinare formulam can. 1248 heri approbatam. Ipse quasdam, emendationes inducere vult, ita ut lex clarior evadat.

En propositio Rev. mi Relatoris:

«Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et abstineant quantum fieri possit ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo rite reddendum, laetitiam christianam diei Dominici propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt».

Examinantur emendationes factae a Rev. mo Relatore in hac formula:

a) «quantum fieri possit».

Rev. mus Relator dicit hanc clausulam esse necessariam, quia antiquitus praeceptum abstinendi a labore praesentabatur tamquam ex iure divino et ideo non admittebantur causae excusantes.

Fere omnes Consultores censent hanc clausulam esse superfluum, quia hodie communiter admittitur hoc praeceptum esse iuris ecclesiastici; iamvero omnes sciunt quod leges iuris ecclesiastici obligant «quantum fieri potest».

Rev. mus octavus Consultor censet illam clausulam esse utilem et opportunam, attendita indole quorundam populorum, pro quibus lex est semper observanda.

Rev. mus decimus Consultor concordat pro suppressione huius clausulae, attamen, dicit ipse, aliquo modo innuendum esse praeceptum audiendi sacrum gravius esse quam praeceptum abstinendi ab opere.

Suffragatur utrum placeat retinere illam clausulam necne:

Placet 1; non placet 10.

b) «cultum Deo rite reddendum».

Rev. mus Relator his verbis innuere vult obligationem peragendi aliquos alios actus cultus, praeter Missam, ita ut dies festus sit plenius Deo dicatus. Haec obligatio praesertim hodie urgenda est, quia fideles satisfacere possunt legi audiendi sacrum vespere vigiliae diei Dominicae vel festi, et tunc periculum est ne nullum cultum Deo reddant in ipso die dominico vel festo.

Consultores concordant cum Rev. mo Relatore, attamen censent verbum «rite» esse superfluum.

Suffragatur utrum placeat retinere haec verba «cultum Deo reddendum» necne.

Omnibus placet.

c) «laetitiam christianam diei Domini propriam».

Rev. mus tertius Consultor vult ut dicatur tantum «laetitiam christianam», quia aliqui dies festi non sunt dies Dominici (haec propositio non placet).

Rev. mus quintus Consultor dicit verbum «christianam» esse superfluum.

Suffragatur utrum placeat retinere verba «laetitiam diei Domini propriam».

Placet 10; non placet 1.

His emendationibus factis, suffragatur utrum placeat integra formula canonis necne:

Placet 9; non placet 2.

Can. 1249

Pro recognitione huius canonis quaestio ponitur num in Codice inserenda sit norma de communicatione in sacris, quae habetur in Directorio Oecumenico ad n. 47, scilicet:

«Catholicus qui occasionaliter, propter causas de quibus infra, n. 50, Sacrae Divinae Liturgiae (Missae) apud Fratres orientales seiunctos diebus dominicis vel festis de praecepto adest, Sanctae Missae audiendae praecepto in ecclesia catholica non amplius tenetur. Item, convenit ut, iisdem diebus, Catholici Sacrae Liturgiae apud Fratres orientales seiunctos, si fieri potest, adsint, cum iusta de causa impediuntur ne Sacrae Liturgiae in ecclesia catholica intersint».

Rev. mi decimus et octavus Consultores volunt ut haec norma ponatur in Codice.

Rev.mi tertius et quartus Consultores censent non esse opportunum hanc concessionem in Codicem transferre, quia concessionem factam in Directorio Oecumenico sunt provisoriae.

Aliqui Consultores proponunt ut retineatur disciplina nunc vigens et addatur clausula « salva concessionem Sanctae Sedis ».

Rev.mus Relator hanc formulam redigit:

« § 1. *Legi de Missae participando satisfacit qui Missae assistit ubicumque legitime celebratur ritu cattolico.*

§ 2. *Legis praecepto satisfacit item qui occasionaliter iustaque de causa sacrae divinae liturgiae (Missae) apud Fratres Orientales seiunctos diebus dominicis vel festis de praecepto adest ».*

Suffragatur utrum placeat ponere in Codice normam § 2 necne.

Placet 4; non placet 7.

Deinde quaeritur utrum placeat norma § 1 necne.

Rev.mus Relator censet supprimenda esse verba « ritu catholico », ne excludatur concessio facta in Directorio Oecumenico, at Em.mus Praeses non consentit cum Rev.mo Relatore, quia concessio peculiaris semper fieri vel renovari potest.

Rev.mus quintus Consultor praeterea animadvertit quod, si supprimerentur verba « ritu catholico », norma Codicis latior esset quam ipsa norma Directorii Oecumenici.

Suffragatur utrum placeat norma § 1 necne :

Placet omnibus.

DE DIEBUS PAENITENTIAE

Plures Consultores in suis votis dicunt hanc materiam recognoscendam esse secundum mentem Constitutionis Apostolicae *Paenitemini* (Rev.mi secundus, tertius, decimus primus Consultores et Relator).

Rev.mi decimus et octavus Consultores proponunt aliquas mutationes inducendas in ipsa norma Constitutionis *Paenitemini*.

Rev.mus tertius Consultor autem dubitat num Constitutio aptam basim pro lege definitiva et universali praebeat. Ratio dubitandi est quia disciplina circa hanc formam paenitentiae, quae per abstinentiam a carnibus et per ieiunium exercetur, adeo intime unita est cum moribus populorum ut vix appareat possibile normam de facto universalem praebere.

Iam a pluribus annis interpretatio legis de abstinentia et ieiunio duxerat ad casuisticam vere nocivam, ex qua elucebat duplex difficultas ante oculos habenda, antequam norma definitiva Codicis stabilietur:

a) *Quis est sensus abstinentiae « a carnibus »?*

Sine dubio haec abstinentia per plura saecula constituit modum classicum exercendi virtutem paenitentiae. Sed si consideratur necessitas dandi legem pro toto orbe terrarum, et quidem suppositis hodiernis placitis scientiae quae de nutritione agit, quaeri potest num abstinentia « a carnibus » primigenium sensum retineat, talisque sensus fidelibus totius Ecclesiae apte explicari possit.

b) *De modo exercendi ieiunium, quid simile dici debet.*

Oportet enim ut obiectum praecepti ecclesiastici clarum sit, et observantia eius sit possibilis maximae parti populi christiani. Iam vero antiqua norma de unica refectioe principali, attentis moribus dieteticis et rythmo vitae hodierno, vix observari potest a maxima parte hominum. Si tamen haec norma classica non amplius valeat, quid in concreto significat praeceptum ieiunii? Ipsa Constitutio *Paenitemini* praecipit ieiunium duobus tantum diebus, et mirum est quod fiat lex pro duobus tantum diebus.

In Constitutione *Paenitemini* tamen invenitur elementum maximi momenti pro nostro labore, scilicet transitus sapienter ibi factus ab antiqua disciplina, quae normas fixas et universales proponebat, ad novam disciplinam, in qua amplissimae facultates datae sunt Conferentiis episcopalibus.

His omnibus consideratis, Rev.mus quintus Consultor proponit ut nova disciplina Codicis evolvatur super haec tria puncta:

- a) Pastores fovere debent spiritum paenitentiae;
- b) Conferentiae episcopales statuunt normas paenitentiae, suis regionibus et circumstantiis aptata;
- c) In Codice statui possunt aliqui dies paenitentiae, qui sint communes pro tota Ecclesia.

Em.mus Praeses censet quod, salvo iure Conferentiae statuendi normas paenitentiae pro suo territorio, indicari debet in Codice aliqua forma paenitentiae quae sit communis pro tota Ecclesia, secus fideles peregrini in aliquibus locis nescirent modum satisfaciendi praecepto paenitentiae in illis locis.

Rev.mus Relator concordat cum Rev.mo quinto Consultore.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo quinto Consultore

ex parte, quia ipse non vult ut in Codice statuatur aliqui dies paenitentiae communes pro tota Ecclesia. Quando enim paenitentia est fixa diei, fideles iam non curant de spiritu paenitentiae in aliis diebus.

Rev.mi quartus, nonus, sextus et decimus Consultores volunt ut notiones ieiunii et abstinentiae, quae stricte nectuntur cum tota traditione paenitentiali Ecclesiae, non dispareant a Codice.

Rev.mus octavus Consultor concordat cum Rev.mo quinto Consultore et notat quod notiones abstinentiae et ieiunii, etsi non inveniantur in futuro Codice, certo non disparebunt a praxi Ecclesiae, quia Conferentiae episcopales illas formas paenitentiae retinebunt ubi condiciones locorum id suadeant.

Alii consultores petunt ut in Codice, praeter lex de fovendo spiritu paenitentiae, statuatur aliquae formae paenitentiae et aliqui dies paenitentiae communes pro tota Ecclesia; et detur Conferentiis episcopalibus facultas integrandi disciplinam communem, statuendo alias formas paenitentiae et alias peculiare normas circa modum et tempus paenitentiae (Rev.mi septimus, decimus et Ill.mus primus Consultores) .

Adunatio VII^a
die 19 octobris 1972 – vespere habita

Relator praebet Consultoribus novam formulam canonis, quam ipse redegit, quaeque sit basis discussionis:

Can. 1250

« § 1. *Curent pastores animarum fideles constanter admonere de obligatione qua tenentur omnes poenitentiam agere, eosque hortari ut, praesertim feriis sextis et tempore quadragesimali, actus paenitentiales, inter quos ad exemplum Christi Domini praeminet ieiunium, corde contrito peragant.*

§ 2. *Ad Conferentias episcopales pertinet formas paenitentiae condicionibus suae regionis adaptatas determinare, fidelibus suis proponere, et quidem, prout casus ferat, iisdem praescribere ».*

Circa § 1 sequentes animadversiones habentur:

- Rev.mus septimus Consultor petit ut formula melius redigatur ut induat indolem verae legis, quia, prout nunc stat, est potius pia exhortatio;
- Rev.mi nonus et quartus Consultores petunt ut fiat expressa mentio feriae sextae maioris hebdomadae, ut dies paenitentiae; praeterea Rev.mus quartus Consultor vellet mentionem facere etiam de abstinentia;

– Rev. mus decimus Consultor censet opportunam esse aliquam mentionem iuris particularis religiosorum circa paenitentiam;

– Rev. mus quintus Consultor proponit ut formula ita emendetur: «... ut, praesertim feria sexta in passione et morte Christi Jesu totoque tempore quadragesimali atque feriis sextis per annum, actus paenitentiales etc... »;

– Rev. mus quartus Consultor vero proponit hanc emendationem: «... ut, praesertim tempore quadragesimali et feriis sextis, inter quas eminet feria sexta in passione Domini, actus paenitentiales, etc... ».

Suffragatur utrum placeat emendatio proposita ab Rev. mo quinto Consultore necne:

Placet 8; non placet 1.

Suffragatur utrum placeat § 1 cum emendatione Rev. mi quinti Consultoris necne:

Placet omnibus.

Circa § 2 sequentes animadversiones habentur:

– Rev. mus nonus Consultor censet verba « condicionibus suae regionis adaptatas » esse superflua ;

– Rev. mus septimus Consultor vult suppressere verba « prout casus ferat »;

– Rev. mus octavus Consultor proponit ut initio ita dicatur: « Conferentiarum Episcoporum est, etc... »;

– Rev. mus quintus Consultor proponit ut dicatur « ratione habita adiunctorum » loco « prout casus ferat »;

– Rev. mus Secretarius proponit ut supprimatur verbum « quidem ».

His animadversionibus perpensis, Rev. mus Relator quaerit utrum placeat haec formula necne:

« Conferentiarum Episcoporum est dies et formas paenitentiae suis regionibus aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescribere ».

Formula omnibus placet.

Rev. mus septimus Consultor proponit ut redigatur § 3, in qua confirmantur normae iuris particularis religiosorum circa paenitentiam.

Alii Consultores censent locum aptum huius legis esse in parte de Institutis perfectionis.

Deinde ponitur quaestio num sint retinendae inscriptiones titulorum prout babentur in Codice, scilicet « De diebus festis » et « De abstinentia et ieiunio ».

Rev.mus quintus consultor proponit ut hae inscriptiones supprimantur et omnes canones, qui agunt de diebus festis et de diebus paenitentiae, sub unica ponantur inscriptione « De temporibus sacris ».

Propositio Rev.mi quinti Consultoris omnibus placet.

Adunatio VIII^a
die 20 octobris 1972 – mane habita

Cum iam recogniti sint canones de diebus festis et de diebus paenitentiae, fit reditus ad canones generales de temporibus sacris.

Can. 1244

Rev.mus Relator censet § 1 huius canonis supprimi posse, quia iam continetur in cann. 1247 ss.

Rev.mi Secretarius et alii Consultores, ratione claritatis, volunt retinere can. 1244, § 1, eum praesertim in finem ut appareat pertinere ad Sanctam Sedem dispensationes concedere circa materiam de temporibus sacris.

Rev.mus Relator quaerit utrum placeat haec formula necne:

« Dies festos itemque dies paenitentiae, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis ».

Formula omnibus placet.

Can. 1244, § 2

Omnes Consultores volunt retinere hanc normam prout est in Codice, mutatis tantum verbis « dies paenitentiae », loco « dies abstinentiae et ieiunii ».

Ideo formula erit:

« Ordinarii locorum peculiare suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicare ».

De loco huius canonis Rev.mus Relator proponit ut ponatur in fine totius materiae, post can. 1250.

Suffragatur utrum placeat haec propositio Rev.mi Relatoris necne:

Placet 9; non placet 1.

Can. 1245

Rev.mus Relator proponit ut transferatur in can. 1245 norma n. VII, quae habetur in Constitutione *Paenitemini*, aliquibus inductis mutationibus, id est:

« Firmo iure Episcoporum dioecesanorum de quo in can. x, parochus, iusta de causa et servatis Ordinariorum praescriptionibus, potest concedere sive singulis fidelibus, sive singulis familiis dispensationem ab obligatione servandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutationem eiusdem in alia pia opera; idque potest etiam Superior Religionis aut Instituti clericalis, quoad proprios subditos ».

Rev.mus quintus consultor notat quod, ex experientia facta post promulgationem Constitutionis *Paenitemini*, clausula «servatis Ordinariorum praescriptionibus» videtur supprimenda, quia est fons multarum difficultatum.

Rev.mus Relator autem censet hanc clausulam retinendam esse, quia in nostro canone facultas parochi ampliatur etiam circa dies festos, et ideo bene est ut Ordinarius melius normas determinet, si ita censeat.

Rev.mus septimus Consultor proponit ut dicatur «secundum Ordinarii praescriptiones», loco «servatis Ordinariorum praescriptionibus», ita ut clausula obliget tantum ad liceitatem.

Suffragatur utrum placeat formula Rev.mi Relatoris cum emendatione Rev.mi septimi Consultoris necne:

Omnibus placet.

Can. 1246

Rev.mus Relator proponit ut canon ita recognoscatur:

« Supputatio diei festi, itemque diei paenitentiae, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 923 et firma facultate satisfaciendi vespere praecedenti praecepto Missae assistendi, ubi id concessum fuerit ».

Formula canonis omnibus placet.

Rev. mus nonus Consultor animadvertit implendam esse lacunam de aetate requisita, ut quis teneatur lege paenitentiae; et proponit ut recognoscatur can. 1254.

Plures Consultores autem censent hanc determinationem faciendam esse a Conferentiis episcopalibus simul cum aliis determinationibus de formis et modis paenitentiae ad normam can. 1250.

Suffragatur utrum placeat recognoscere can. 1254 necne:

Placet 3; non placet 5.

Adunatio IX^a
die 20 octobris 1972 – vespere habita

In hoc conventu examinatur quaestio de Sanctuariis, quae proposita fuit a Secretaria Commissionis. Ipsa Secretaria praebuit Consultoribus schema aliquod canonum de Sanctuariis, quod redactum fuerat ab Exc. mo Aurelio Sabbatani, Consultore huius Commissionis.

En schema canonum Exc. mi Sabbatani:

Can. 1

Ab omnibus in honore habeantur Sanctuaria, seu aedes vel loca sacra, publico divino cultui destinata, quae, ob religiosas memorias vel insignes reliquias custoditas, ob patrata ibidem miracula, communiter celebrantur uti sedes largitionis peculiarium charismatum, ita ut populus Dei frequens ibidem accurrat.

Can. 2

Ob diversum momentum et influxum exercitum, Sanctuarium haberi potest uti paroeciale, dioecesanum, regionale, nationale, internationale, accedente recognitione a competenti ecclesiastica auctoritate, quae, si id exigant rationes vere pastorales, eidem Sanctuario poterit quasdam exemptiones tribuere.

Can. 3

§ 1. Sanctuariorum munus praecipuum, praeter fidelem custodiam memoriarum religiosarum, est integratio vitae pastoralis paroeciae et dioe-

cesis, quae fit suppeditando fidelibus extraordinaria media salutis in loco, divinitus signato, ubi facilior apparet ad Deum conversio.

§ 2. Ad hunc finem peregrini honeste recipiantur, confessoriorum copia iisdem proponatur et insimul apta catechesis liturgica et sacramentalis, memorata quidem peculiari devotione quae in Sanctuario colitur, at exclusa omni specie lucri.

Can. 4

In disponendis programmatibus vitae pastoralis ratio habeatur spiritualis adiutorii, quod provenire potest a Sanctuariis. Similiter Sanctuaria moderationi vitae religiosae in dioecesi inductae, non modo non obstant, sed omnino eidem faveant, ut, collatis utrimque viribus, populus Dei fide et charitate crescat.

Rev. mus Relator censet nullam legem peculiarem de Sanctuariis ponendam esse in Codice, quia pertinet ad auctoritatem territorialem dare normas de sanctuariis quae sunt in sua iurisdictione.

Alii Consultores autem volunt ut in lege communi statuatur aliqua generaliora circa Sanctuaria.

Examinatur § 1 schematis Exc. mi Sabbatani, quae continet definitionem Sanctuarii.

Rev. mus decimus primus Consultor censet accuratiorum esse definitionem Sanctuarii, praebitam die 8 februarii 1956 in Litteris circularibus S. Congregationis de Seminariis, quae ita se habebat:

« Sanctuarii nomine intelligitur ecclesia seu aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, quae ob peculiarem pietatis causam, v.g. ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum quod Deus ibi operatus sit, ob peculiarem indulgentiam ibi lucranda, a fidelibus constituitur meta peregrinationum ad gratias impetrandas vel vota solvenda ».

Consultores praeferunt formulam S. Congregationis de Seminariis ut basim pro redactione can. 1.

Rev. mus quartus Consultor proponit ut in hanc formulam inseratur aliquid de necessitate recognitionis Sanctuarii, a competente auctoritate ecclesiastica factae.

Duae propositiones habentur circa hoc elementum debitae recognitionis auctoritatis ecclesiasticae:

– Rev. mi Secretarius, decimus primus et septimus Consultores proponunt ut in fine ita dicatur: «... ad quam fideles, *approbante auctoritate eccle-*

siastica competente, animo peregrinationis accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda ».

– Rev.mus Relator proponit ut initio ita dicatur: «... quae, ob peculiarem pietatis causam, a competente auctoritate ecclesiastica recognitam, etc...».

Rev.mus nonus Consultor vult ut in elenchum causarum pietatis, quae ad modum exempli recensentur, includatur etiam «ob religiosas memorias», quae habetur in formula Sabattani. Idem petunt Rev.mi septimus, octavus, quintus et decimus Consultores.

Post aliquam discussionem ad perpendenda varia elementa quae habentur sive in formula S. Congregationis, sive in formula Sabattani, Rev.mus Relator quaerit utrum placeat haec formula necne:

«Sanctuarii nomine intelligitur ecclesia vel aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quam ob peculiarem pietatis causam, a competente auctoritate ecclesiastica recognitam, v.gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, ob specialem indulgentiam ibi lucrandam, fideles animo peregrinandi accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda ».

Formula omnibus placet.

Rev.mus quartus Consultor tamen censet quod supprimi possent in canone, modo approbato, omnes causae quae recensentur ad modum exempli, cum sit sufficiens dicere «ob peculiarem pietatis causam».

Praeterea Rev.mus Secretarius, post varias causas recensitas, addere vellet verbum «etc.».

Alii Consultores vero servare volunt formulam iam approbatam, sine ulla mutatione.

Can. 2 (schematis Sabattani)

Rev.mus Relator miratur quod dari possit Sanctuarium «paroeciale», quia, data natura sanctuarii, congruum videtur ut eius fama et occurus fidelium excedant limites paroeciales; ideo sanctuaria deberent esse, ad minimum, dioecesana.

Rev.mus decimus Consultor refert de sua experientia circa existentiam huiusmodi sanctuarii «paroecialis», saltem eo sensu quod subsunt iurisdictioni parochi loci.

Rev.mus tertius Consultor concordat cum Rev.mo Relatore et in lucem

ponit opportunitatem vitandi ut parochus in possessionem veniat oblationum fidelium quae in illis sanctuariis, sic dictis paroecialibus, dantur.

Rev. mus decimus Consultor animadvertit Ordinarium habere potestatem imponendi taxas etiam sanctuariis paroecialibus, et ideo haec difficultas non nimis urgenda est.

Suffragatur utrum placeat § 2 schematis Sabbatani necne:
Placet 9; non placet 1.

Can. 3 (schematis Sabbatani)

Plures Consultores censent hunc canonem non esse ponendum in Codice quia eius materia pertinet ad curam pastorem.

Rev. mus quintus Consultor autem animadvertit quod per hunc canonem specificatur quodnam sint momentum et functio sanctuarii in organizatione dioecesis et ideo haec norma opportune inseri potest in novo Codice.

Rev. mus Relator consentit cum Rev. mo quinto Consultore, attamen censet formulam canonis restringendam esse.

Ideo Rev. mus Relator quaerit utrum placeat haec formula necne:

« In sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis, iis proponendo copiam confessariorum et insimul aptam catechesim liturgicam et sacramentalem, exclusa omni specie lucri ».

Placet 6; placet iuxta modum 4.

Modi:

1. Dicatur in can. de Eucharistia fovenda (Rev. mus tertius Consultor):

Placet 1; non placet 9.

2. Retineatur clausula formulae Sabbatani « memorata quidem peculiari devotione quae in Sanctuario colitur » (Rev. mus quartus Consultor):

Placet 2; non placet 8.

3. Canon his tantum verbis constet: « In Sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis » (Rev. mus decimus primus Consultor):

Placet 1; non placet 9.

4. Dicatur « et insimul apte fovendo catechesim, vitam liturgicam et sacramentalem » loco « et insimul aptam catechesim liturgicam et sacramentalem » (Rev. mi quintus et quartus Consultores):

Placet omnibus.

Can. 4 (schematis Sabattani)

Rev.mus Relator proponit ne can. 4 schematis Sabattani recipiatur in novum Codicem, quia continet materiam pertinentem ad ordinariam pastoraalem dioecesis.

Suffragatur utrum placeat recipere in Codice can. 4 schematis Sabattani necne:

Placet 2; non placet 8.

APPENDIX
CANONES APPROBATI

Can. 1154

Loca sacra ea sunt quae divino cultui fideliumve sepulturae deputantur consecratione vel benedictione quam liturgici libri ad hoc praescribunt.

Can. 1155

§ 1. Consecratio alicuius loci, quamquam ad religiosos exemptos pertinentis, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus ipse reperitur, non tamen ad Vicarium generalem vel ad Vicarium episcopalem sine speciali mandato; firmo iure S.R.E. Cardinalium consecrandi ecclesiam et altaria sui tituli.

§ 2. Ordinarius territorii, licet caractere episcopali careat, potest cui-libet eiusdem ritus Episcopo licentiam dare consecrationes peragendi in suo territorio.

Can. 1156

Ius benedicendi novam ecclesiam, vel oratorium, vel novum coemeterium, si eiusmodi locus pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.

Can. 1157

Non obstante quolibet privilegio, nemo potest ecclesiam oratoriumve consecrare vel benedicere, aut novum coemeterium benedicere, sine Ordinarii consensu.

Can. 1158

De peracta consecratione vel benedictione ecclesiae, oratoriive, itemque de benedictione coemeterii, redigatur documentum, cuius alterum exemplar in Curia dioecesisana, alterum in ecclesiae archivo servetur.

Can. 1159

§ 1. Consecratio vel benedictio alicuius loci, modo nemini damnum fiat, satis probatur etiam per unum testem omni exceptione maiorem.

§ 2. Si de ea legitime constet, nec consecratio nec benedictio iterari potest.

Can. 1160

Auctoritatis ecclesiasticae est iurisdictionem suam in locis sacris libere exercere.

Can. 1206

Ius est catholicae Ecclesiae possidendi propria coemeteria.

SECTIO II
DE TEMPORIBUS SACRIS

Can. 1243

Tempora sacra sunt dies festi; iisque accensentur dies paenitentiae.

Can. 1244

Dies festos itemque dies paenitentiae, universae Ecclesiae communes, constituere, transferre, abolere, unius est supremae ecclesiasticae auctoritatis.

Can. 1245

Firmo iure Episcoporum dioecesanorum de quo in can. x, parochus, iusta de causa et secundum Ordinarii praescriptiones, potest concedere sive singulis fidelibus, sive singulis familiis dispensationem ab obligatione ser-

vandi diem festum vel diem paenitentiae aut commutationem eiusdem in alia pia opera; idque potest etiam Superior Religionis aut Instituti clericalis, quoad proprios subditos.

Can. 1246

Supputatio diei festi, itemque diei paenitentiae, facienda est a media nocte usque ad mediam noctem, salvo praescripto can. 923 et firma facultate satisfaciendi vespere praecedenti praecepto Missae assistendi, ubi id concessum fuerit.

Can. 1247

Praeter diem dominicum, qui in universa Ecclesia uti primordialis dies festus sub praecepto servari debet, diem quoque Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi et unam ex sollemnitatibus B.M.V. a Conferentiis episcopalibus est determinare quinam alii dies festi in suo territorio sub praecepto servandi sint.

Can. 1248

Festis de praecepto diebus Missae celebrationi fideles participant; et abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis ac corporis relaxationem impediunt.

Can. 1249

Legi de Missae participando satisfacit qui Missae assistit ubicumque legitime celebratur ritu catholico.

Can. 1250

§ 1. Curent pastores animarum fideles constanter admonere de obligatione qua tenentur omnes paenitentiam agere, eosque hortari ut, praesertim feria sexta in passione et morte Christi Jesu totoque tempore quadragesimali atque feriis sextis per annum, actus paenitentiales, inter quos ad exemplum Christi Domini praeminet ieiunium, corde contrito peragant.

§ 2. Conferentiarum Episcoporum est dies et formas paenitentiae suis regionibus aptatas determinare, fidelibus suis proponere et, ratione habita adiunctorum, easdem praescibere.

Can. 1251

Ordinarii locorum peculiare suis dioecesibus seu locis dies festos aut dies paenitentiae possunt, per modum tantum actus, indicare.

DE SANCTUARIIS

Can. 1

Sanctuarii nomine intelligitur ecclesia vel aedes sacra divino cultui publice exercendo dicata, ad quam ob peculiarem pietatis causam, a competente auctoritate ecclesiastica recognitam, v.gr. ob religiosas memorias, ob imaginem sacram ibi veneratam, ob reliquiam insignem ibi asservatam, ob miraculum ibi patratum, ob specialem indulgentiam ibi lucranda, fideles animo peregrinandi accurrunt ad gratias impetrandas vel vota solvenda.

Can. 2

Ob diversum momentum et influxum exercitum, Sanctuarium haberi potest uti paroeciale, dioecesanum, regionale, nationale, internationale, accedente recognitione a competenti ecclesiastica auctoritate, quae, si id exigant rationes vere pastorales, eidem Sanctuario poterit quasdam exemptiones tribuere.

Can. 3

In Sanctuariis suppeditentur fidelibus abundantiora media salutis, iis proponendo copiam confessoriorum et insimul apte fovendo catechesim, vitam liturgicam et sacramentalem.

